

Fo comandata la zonta nova per asolver sier Zuan Antonio Minio, qual fo condanato in perpetuo in Arbe senza processo ni retention; hor questo dà a la Signoria ducati 600, *tamen* non fo tempo.

Fo preso la gratia di domino Zuan di Strasoldo dolor di Friul, qual fo leta l'altro zorno in Pregadi, *videlicet* aver

205

*Exemplum litterarum
regis Angliæ ad cardinalem Angliæ.*

Henricus Dei gratia rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Christoforo Eboracensi cardinali Angliæ tanquam fratri nostro dilectissimo S. P. D.

Certiore fecimus dominationem vestram reverendissimam Imperatorem ad nos nuper litteras scripsisse, quibus vehementer nos rogat et exhortatur ut consentiamus generali et universali paci inter christianos principes componendæ, ita ut, hac composita et inita, decerni possit expeditio contra perfidos tureas et infideles ecclesiæ Dei inimicos. Sed quia nos certe scimus hanc Imperatoris exhortationem processisse ex laboribus instigationibus et persuasionibus Regis gallorum procurantibus oratoribus ejus, qui nunc apud Cæsarem sunt, et ipsum Regem sub hoc colore et astuto prætextu pacis, de qua nihil cogitatur, conari reficere vires suas et augere, ut de illis vindictam sumat qui impedimento fuerent quominus consequeretur votum et desiderium suum, in ecclesia Dei et Sanctissimo domino N. . . prosequendo, respondimus Imperatori eo modo quem dominatio vestra reverendissima intelliget ex exemplo litterarum nostrarum, quas his inclusimus, volentes dominationem vestram reverendissimam omnem rem Sanctissimo Domino Nostro declarare. Præterea dominatio vestra reverendissima reddat Sanctissimum Dominum Nostrum certiore oratores nostros in Brabantiam pervenisse et esse nunc cum Imperatore ut illa tractent quæ maxime conducent ad Ecclesiam et Sanctissimum Dominum Nostrum defendendum; et nos confidimus Imperatorem, cum sit caput omnium principum christianorum et maxime ad officium ejus pertineat ecclesiam Dei defendere, diligentius nunc ad hoc inspecturum quam unquam ante hoc fecit, et aggregatum se illorum numero qui tanquam pii principes nihil aliud conantur nisi ut defendant ecclesiam Dei et ejus in terris vicarium, et ob id sanctissimam confederationem inierint. Et responsum quod oratores nostri

habebunt, dominatio vestra reverendissima per proximum nostrum tabellarium intelliget. Insuper dominatio vestra reverendissima Sanctissimo Domino Nostro referat fratrem nostrum Scotorum regem non solum vehementer ad nos scripsisse instigante Gallorum rege pro supradicta pace componenda, et ut nos consentiamus ut ipse possit hanc rem cum serenissimo domino magnifico rege Chatolico carissimo patre nostro et Gallorum rege tractare, verum etiam totis viribus laboravit cum oratoribus nostris, 205* qui apud illum sunt, ut et ipsi super eadem re diligenter ad nos scriberent et ad supradictam universalem pacem nos traherent; sed illis nos idem fere responsum dedimus quod et Imperatori, et ostendimus nos in tam pio proposito libenter ei morem gesturos si cum honore nostro fieri possit, sed quod per sanctissimam confederationem quam inivimus et per fœdus initum inter carissimum patrem nostrum regem Catholicum sumus obligati, ut cum alio nemine, neque aperte neque secreto, neque per nos neque per intermediam personam pacem ineamus, sine expresso Sanctissimi Domini N. consensu et notitia. Rogavimus dictum fratrem nostrum Scotorum regem ut hanc nostram excusationem in bonam partem accipiat, et asseveravimus nos, neque posse, neque velle fidem confederatis nostris frangere. Supradicta omnia non solum existimavimus dominationi vestræ reverendissimæ conscribenda, verum etiam Sanctissimum Dominum Nostrum verbis nostris rogandum esse ut similiter pacta sanctissimæ confederationis observet, si pro tali pace apud Sanctitatem ejus laborabitur, et quod Sanctissimus Dominus N. . . et rex Catholicus refecerunt nunc exercitus suo in Italia et Elvetii decreverunt invadere ducatum mediolanensem in defensione ecclesiæ, et exercitus noster discessit ex hoc regno in Guihennam et Guesconiam conjuncturus se illie cum alio magno exercitu carissimi patris nostri regis Catholici et nostro preparato adversus Gallos ecclesiæ hostes, et Illustrissimum Dominum Venetum etiam suas vires paratissimas habet. Si Sanctissimus Dominus N. velit animose exhortare præfatos exercitus ad rem bene gerendam, non est dubium quin, favente Deo, Ecclesia liberabitur ab omni persecutione, schismate, tyrannide, et inimici ejus funditus in æternum eradicabimur. Quamobrem, rogamus dominationem vestram reverendissimam ad hoc exhortetur, diligentissime instiget et Sanctitati ejus significet nos esse paratos bonam vitam et regnum pro conservatione Sanctitatis ejus et Ecclesiæ exponere. Ad ultimum, dominationem vestram reverendissimam vehementer oramus ut cer-